

Tommaso de Vio, called Gaetano, cardinal

Supplément du "LAVAL THÉOLOGIQUE ET PHILOSOPHIQUE" vol. I, no 1.

S E L E C T A L A V A L L E N S I A

THOMAE DE VIO CAJETANI

T R A C T A T U S

DE SUBJECTO NATURALIS PHILOSOPHIAE

UNICA QUAESTIONE CONTENTUS

Textus tractatus quarti ex tomo tertio
"Opuscula Omnia" editionis Lugdunensis (1558)
excerptus et a

CHARLES DE KONINCK ET R. P. E. GAUDRON, O. F. M.

exaratus et annotatus
ad usum studentium in Facultate Philosophiae
Universitatis Lavallensis

I

TEXTUS

LIBRARY

main
1939

É D I T I O N S L A V A L . Q U É B E C

443441

B785
V53 D3
v.1

VT287V80 A2A2M

VS98U

QUAESTIO

AN ENS MOBILE SIT SUBJEC-
TUM IN PHILOSOPHIA NATU-
RALI.

QUÆRITUR an ens mobile sit
subjectum in philosophia natu-
rali.

Et videtur quod non.

Primo : Quia *aut* ens mobile
significat substantiam mobilem, 15
aut accidens mobile, *aut* tertium
commune utrique. *Si primum,*
cum substantia mobilis et corpus
mobile sint idem convertibiliter,
sequitur quod poneretur secun- 20
dum rem corpus mobile subjec-
tum philosophiæ, quod est contra
tenentes ens mobile. *Si secun-*
dum, hoc est manifeste contra
omnes, et veritatem. *Si tertium,* 25
tunc sequeretur, quod ens diceret
tertium conceptum abstrahibili-
lem a substantia et accidente,
quod est contra Thomistas.

Secundo sic : Subjectum scien-
tiæ debet esse unius rationis
formalis : alioquin non haberet
quod quid est, et consequenter
nec esset principium scientiæ : 35
quia, ut dicitur in I De Anima,
in text. 11, principium omnis
demonstrationis est quod quid
est. Nec haberet aliquam per se
primo passionem : quia ei, quod 40

non est in se natura una, quic-
quid per se unum convenit, con-
venit ratione partium, et conse-
quenter nulla passio convenit
ei primo. Ens autem mobile dicit
aggregatum ex duabus rationibus
formalibus : ergo non est sub-
jectum. *Si dicatur,* quod illa
duo ponuntur ad circumloquen-
10 dum unam rationem formalem,
quemadmodum moris est ponere
passiones loco differentiarum :
contra, Ratio subjecti in scientia
debet esse primo et maxime nota
in scientia : eo quod tota scien-
tifica cognitio ex illa dependet :
sed si circumlocutione eget, non
esset hujusmodi : implicatio si-
quidem est in adjecto, dicere
20 quod est ratio formalis in scien-
tia, et quod circumloquitur illam
passionis nomine, utpote occul-
tam. Ergo, etc.

Tertio : Si ens mobile esset
subjectum philosophiæ naturalis,
aut philosophia naturalis esset
pars metaphysicæ, *aut* esset su-
balternata illi : Utrumque est
30 falsum : Ergo. Tenet conse-
quentia : quia aut ens mobile
addit supra ens conditionem per
se dividendem ens, aut acciden-
talem enti. *Si primo modo,*
sequitur quod ens mobile a meta-
physico considerandum est : quia
in I Post. ca. 22 dicitur, quod
ejusdem scientiæ est considerare
subjectum aliquod et partes sub-
40 jectivas per se, et consequenter

esset philosophia naturalis : cui ascribitur ens mobile, pars metaphysicæ. *Si secundo modo*, sequitur quod philosophia naturalis metaphysicæ subalternaretur: eo quod dicitur in I Post. c. 8, descendere de genere in genus secundum quid, id est, secundum conditionem accidentalem (ut communiter exponitur) est solius scientiæ subalternatæ conditio ab Aristotele tradita.

Quarto sic : Subjectum in scientia debet esse illud, ad cuius rationem formalem omnes resolvuntur passionem et conclusionem illius scientiæ, ut de se patet : sed passionem et consequenter conclusionem physicæ resolvuntur ultimo in philosophia naturali ad quod quid est substantiæ, seu corporis naturalis : eo quod omnia accidentia physica causantur ex substantia naturali : ergo substantia naturalis seu corpus naturale ponendum est subiectum.

CONCLUSIO

ENS MOBILE NON AUTEM CORPUS MOBILE, AUT SUBSTANTIA MOBILIS, VEL NATURALIS, EST SUBJECTUM ADÆQUATUM PHILOSOPHIÆ NATURALIS.

In hac dubitatione primo distinguam opiniones. *Secundo* de-

clarabitur opinio sancti Thomæ. *Tertio* simul ipsa confirmabitur et contra alias opponetur. *Quarto* respondebitur argumentis in oppositum.

QUOAD PRIMUM, sciendum est de subjecto adæquato philosophiæ naturalis (de quo hic est sermo) quosdam loqui in re hac naturaliter, quosdam vero innaturaliter :

a) Propter quod hi [innaturaliter loquentes] a nostra resecandis sunt disputatione, quam inter philosophos agimus. Supponunt enim intelligentias mobiles esse : et philosophiam naturalem infra sensibilia non arcantes, commune aliquid sensibilibus et separatis a materia, quatenus mobilia sunt, subjectum philosophiæ dicunt : operiuntque errorem suum theologice pietatis nomine.

Contra hos enim non oportet naturalem disputare : apud quem indubitatum principium est, substantias abstractas immobiles esse : et terminum considerationis philosophicæ esse animam humanam, partim abstractam, partim non : ut dicitur II Phys. text. 26, et ultimum quod potest naturalis de intelligentiis attingere, et declarare quia sunt : ut Averrois dicit I Phys., commentario ultimo.

Quanta tamen sit quorundam horum temeritas, silentio involvendum non est, cum præsumant propriam opinionem theologiæ sententiam asserere : sicque theologiæ facultatis expertibus, in philosophia tamen nutritis, deridendi theologiam occasionem præbent. Non est enim ex sacra Scriptura, nec ex Theologis sanctis ab Ecclesia approbatis traditum, quod angeli sic moventur, ut motus continui subjectum sint : sed potius oppositum, ut in theologia discussum a Sanctis est. Unde si Peripateticos arguendos censent, gloriantur ex scotica officina hos se errores deprehendere, non ex theologia.

b) His ergo omissis, ad naturales transeamus : Quorum opinio non est una, dum alii mobile, alii ens, alii utrumque ex subjecto physicæ resecant dum putant. Et illi quidem qui neutrius nomen recipiunt, secunda et quarta ratione ad oppositum facta moventur : et sensibilem seu naturalem substantiam subjectum fore censent. Qui vero ens tantum abjiciunt, corpus mobile subjectum philosophiæ [naturalis] ponunt. Et hi adhuc divisi sunt, dum quidam ly mobile, passionem significare concedunt : quidam autem rationem formalem corporis physici supponere contendunt. Mobile autem tantum abjicientes, sunt qui

ens naturale subjectum dicunt.

Sunt ergo quinque opiniones naturaliter loquentium, scilicet Thomistarum tenentium ens mobile ; et Albertistarum, dicentium corpus mobile ; et modernorum multorum, dicentium substantiam naturalem seu sensibilem ; et quorundam etiam modernorum asserentium corpus physicum seu naturale ; et eorum qui ens naturale subjectum credunt.

QUOAD SECUNDUM : Cum ens mobile complexionem quandam nominum contineat, singula distinguenda sunt.

a) Et primo quidem circa ly mobile triplici opus est distinctione.

Prima [distinctio] est quod cum mobile motum respiciat, sicut motus sumitur dupliciter, scilicet proprie, ut distinguitur contra mutationem in V Phys., et ad tria tantum genera esse dicitur — et communiter, ut continet in se et motum proprie dictum, et mutationem, scilicet generationem et corruptionem : ita mobile dupliciter sumi potest. In quæstione tamen ista sumitur communiter prout idem est quod mutabile physica mutatione.

Secunda [distinctio] est quod aliquid potest dici mobile dupli-

citer, scilicet subjective: quod scilicet est subjectum motus: et terminative: quod scilicet est terminus alicujus mutationis. Et quamvis prima facie mobile sonet subjectum motus, si tamen restringendum est in proposito, magis tenendum est terminative quam subjective, ut ex dicendis apparet. Judicio tamen meo indistincte tenendum est non ea ratione ut sit commune ad omnia quomodocumque mobilia: contineatque ut partes subjectivas materiam et formam, etc., quia hoc est contra s. Thomam in I Phys., super text. comm. 6, ubi in divisione litteræ expresse dicit, quod in primo libro Phys. agitur de principiis intrinsecis entis mobilis, scilicet de materia et forma: ex hoc aperte insinuans ens mobile, quod est subjectum philosophiæ [naturalis], non esse totum universale respectu materiæ et formæ, sed totum integrale seu essenziale, sed ea potius ratione ut scilicet illa notissima sui acceptio supponatur, quam ex sensu supponere oportet: perhibent enim nobis sensus mobilia esse: an autem subjective an terminative mutantur ea quæ moveri videmus, ratione magis discernitur, quam ex sensu habeatur.

Tertia [distinctio] est quod mobile æquivocum est nomen ad aptitudinem, ad motum et ad fundamentum illius aptitudinis:

sicut si risibile significaret aptitudinem ad ridendum, et rationalitatem, quæ est ejus fundamentum. Quid autem mobile in proposito significet, difficile est hac sola quæstione elucidare. Quamvis enim impossibile sit subjectum et passionem simul accipi pro subjecto in aliqua scientia, sic quod totum aggregatum subjectum sit (quia oportet subjecti unam esse rationem formalem, et ex quod quid est subjecti, et quid est passionis una ratio formalis constitui nequit) nihil tamen prohibet aggregatum ex subjecto et passione, subjectum sic constitui, ut passionis quod quid est, sit ratio formalis subjecti in illa scientia. — Et hoc modo intelligi potest mobile passionem significare in proposito: ita quod mobilitas quæ est passio, sit ratio formalis enti vel corpori, quod sit subjectum philosophiæ naturalis: unde solet fieri reduplicatio supra ly mobile, dicendo ens aut corpus mobile, inquantum mobile est subjectum physicæ. Suadetur autem in proposito sic sumi mobile ex subjecto mathematicæ: sicut enim physica est de entibus in eo quod mobilia, ita mathematica est de entibus in eo quod quanta. Constat autem mathematicæ sic esse subjectum ens quantum: ut quantitas ipsa quæ substantiæ materialis passio seu proprium accidens est, ratio

formalis subjecti mathematicæ sit. Erit ergo physicæ subjectum ens aptum* moveri, sic quod aptitudo ad motum, ratio formalis subjecti sit. Et confirmatur hoc Magni Alberti auctoritate: qui in I Phys. sic distinguens corpus in metaphysicum, mathematicum et physicum, mobilitatem, quam rationem formalem subjecti dicit, posteriorem corpore quanto naturaliter dicit. Nec obstat quod ejusdem scientiæ est considerare de passione et subjecto ejus: quoniam hoc intelligitur, quando tractatur de passione ut passio est: non autem quando passio primum subjecti locum tenet: ut patet de quantitate in mathematica, quæ de substantialibus principiis subjecti ejus, a quo fluit, non se impedit. Similiter non obstat quod perfecta cognitio de re non habetur absque quod quid est subjecti: hoc enim non est sic accipiendum, ut omnis cognitio citra illam sit imperfecta, ita quod non sit evidens et scientifica: sed ut absque quod quid est subjecti, consummata omnimodaque notitia de re haberi non possit.

Quod physicæ accidere non inconvenit: quoniam mathematicæ hoc convenire certum est: mathematicus enim ignorat an quantum sit substantia vel acci-

* Ed. Lugd.: actum...

dens, et quantitatis subjectum, etc., et tamen certissimus est omnium: ut dicitur in II Metaph. text. et commentario ultimo. — *Sed contra hanc viam* est, quod secundum eam ad philosophum naturalem non pertineret considerare aliquod prædicatum quidditativum cujuscumque substantiæ, nisi forte aliqua substantia sit, de qua quidditative prædicaretur aptitudo ad motum: et consequenter philosophia naturalis non esset de substantia, sed esset de accidente, quemadmodum mathematica. Si enim mobilitas (i. e. aptitudo ad motum) quæ passio ponitur entium naturalium, ratio formalis subjecti physicæ acceptatur, non licebit physico de ratione adæquati subjecti ejus disserere: quia illa prior est, ac per hoc descendendo a mobilitate in comuni ad talem vel talem mobilitatem in specialibus partibus philosophiæ naturalis, non licebit ad quod quid est talis vel talis subjecti descendere: sed quemadmodum adæquati subjecti mobilitatis quod quid est omisum fuerat, pari ratione specialia quod quid erat esse subjectum talium mobilitatum omittenda sunt: quoniam nulla pars alicujus scientiæ tractat de aliquo priori propria ratione formali. Nec video quomodo possit huic rationi satisfieri, nisi tenendo quod metaphysicæ est conside-

rare quod quid est in particulari. Quod quia non credo verum, idecirco puto melius tenere, quod mobile in proposito non significat ipsam aptitudinem ad motum si est passio : sed ejus fundamentum. Cum enim ista aptitudo, quam mobilitatis nomen sonat, quibusdam entibus repugnet, scilicet separatis a materia, et quibusdam non, scilicet materialibus, et de entibus materialibus (puta homine et bove) non reputetur prædicari substantialiter : consequens est, quod aliquid præcedat in eis, ex quo ipsa aptitudinem hanc sortiantur : et hoc fundamentum mobilitatis est. Notanter autem dixi 'non reputetur' : quia communi voci satisfacere volens distinctionem hanc mobilitatis pertractavi. In X siquidem Metaph., text. ult., sub dubio relinquitur, an corruptibile sit substantia, an in substantia, i. e. an sit de substantia rei, aut eam sequatur : ut exponit Averrois. Corruptibilitas autem quædam mobilitatis species est, vel mobilitas ipsa : secundum illud VIII Phys. text. comment. 25, in omni motu corruptio est. Sanctus Thomas etiam ibidem inter substantialia prædicata corruptibile ponere videtur. Aristoteles quoque in I Phys. text. 8, idem sentire videtur : dum dicit, quod ad naturalem non spectat probare mobilitatem : hoc enim non esset verum, si mobilitas esset passio præventa a formali ratione subjecti philosophiæ naturalis : posset enim per illam rationem a naturali philosopho probari. Nisi forte quis dicat dictum Aristotelis non esse verum per se, sed per accidens : quia scilicet est passio notissima. Sed hoc non est tutum : tum quia non est sermo per accidens consuetus Aristoteli, tum quia saltem defendere mobilitatem pertinet ad philosophum naturalem, et non ad metaphysicum : sicut et quamlibet passionem subjecti proprii quilibet artifex defendere debet. Nec obstat, quod sit passio per se nota de adæquato subjecto : quoniam per se notum, et non per se notum, faciunt quidem differentiam quoad probari vel non probari posse aliquid, ut patet in II Phys., text. comm. 6, non tamen faciunt differentiam quoad defendere vel non defendere : quoniam si occulta tuenda sunt, manifesta magis sunt tuenda, modo non sint principia, sed ex principiis : qualis est mobilitas, si passio ponitur. Quicquid autem de hoc sit, mobilitas, quæ est ratio formalis subjecti physicæ, non passio, sed quod quid erat esse est entium naturalium : et prævenit naturalitatem et mobilitatem — passionem eorum si concedatur illam quidem, quia relativa proprietas est ; istam vero, quia passio dicitur.

Supra
5 b 15

b) [Secundo] Circa vero ly ens, hoc tantum distinguere oportet, quod *dupliciter* entis nomine uti consuevimus.

1) Primo, pro omni eo quod habet esse quocumque modo : et sic hic non capitur.

2) Secundo, pro eo quod proprie esse dicitur : hoc autem in his, quæ fiunt, est id quod proprie fit : ejus siquidem est esse proprie, cujus est fieri. Id autem quod proprie fit, ut VII Metaph. text. comm. 28 patet, est compositum : sive substantiale, ut homo ; sive accidentale, ut homo medicus. Et sic sumitur in proposito. Unde colligendo dicta ad hoc quod aliquid sit pars subjectiva entis mobilis quod subjectum physicæ dicimus, exigitur et quod sit proprie ens, et quod sit mutabile physica mutatione. Et propterea nec materia prima, nec forma substantialis aut accidentalis ens mobile est : sed entis mobilis principia hæc omnia sunt. Est ergo ens mobile communius quam sit corpus mobile, et quam substantia naturalis sive sensibilis : quia continet sub se omnia materialia composita, quæ solum mutabilia sunt : sive sint substantialia, sive accidentalia, sive secundum formam absoluta, sive secundum ubi. Et est ens mobile abstractius quid quocumque* prædicto-

rum, quanto ens aliquem gradum concomitans prius est illo : dato etiam quod ad composita accidentalia se non extenderet. Nec obstat contradictio per ly mobile ; quoniam sicut substantia rationalis abstractius quid est, quam animal rationale : sic ens mobile abstractius et prius quid est, quam substantia mobilis : quamvis enim ex parte ly mobile æqua sit abstractio, ex parte tamen ly ens, et ly substantia, abstractius est ens mobile. Unde quemadmodum concedens substantiam rationalem, adhuc disputandi locum haberet, an illa rationalis substantia esset corpus, an animal, etc., et continue ab abstractiori ad minus abstractum quæstio descenderet, dum a substantia rationali ad corpus rationale, et a corpore ad corpus animatum, etc., veniretur, sic sub ente mobili quæstio remanet, an illud sit substantia, an corpus, etc. Cum igitur in re mutabili considerari possit, et quod sit corpus mutabile, et quod sit substantia mutabilis, et quod sit ens mutabile, divi Thomæ sententia est, naturalia rationem subjecti philosophiæ naturalis induere primo, non quatenus sunt corpora mutabilia, aut substantiæ mutabiles, sed quatenus sunt entia mutabilia : ita quod ens mobile, licet complexionem nominum conti-

* Ed. Lugd. quocumque...

neat, incomplexum tamen et per se unum quod quid est significat, sicut ens per se. Quemadmodum enim diviso ente in per se et in alio, si simplicibus vocabulis careremus, substantiam ens per se nominarem, et accidens ens in alio, et tamen unam formalem rationem significarem, non aggregatam ex pluribus : ita diviso ente in transmutabile et intransmutabile, carentes simplici vocabulo, ens transmutabile seu mobile vocamus alterum membrum quod unius est quidditatis, et illud philosophiæ naturalis subiectum esse adæquatum dicimus. Hæc de secundo.

Supra
4 b 2

QUOAD TERTIUM, cum ens mobile duo nomina complectatur, et unum significet, primo ostendendum est, quod ejus significatum est adæquatum philosophiæ [naturalis] subiectum ; deinde quod his nominibus convenientissime significatur.

a) Primo probatur tripliciter.

Primo sic : Adæquatum subiectum primarum passionum naturalium est adæquatum subiectum philosophiæ naturalis : sed ens mobile, et non substantia aut corpus naturale seu mobile, est adæquatum subiectum primarum passionum naturalium : ergo, etc. — Major est per se nota.

Minor vero probatur accipiendo transmutabilitatem, seu quod idem est, mutabilitatem pro prima passione physica, vel saltem una de primis, aut eis æquivalente : ut ab omnibus supponitur. Tunc sic : adæquatum subiectum transmutabilitatis habet materiam, formam, et privationem pro adæquatis principiis : sed tantum ens mobile habet hæc pro adæquatis principiis : ergo nihil aliud ab ente mobili est subiectum adæquatum transmutabilitatis, et consequenter primarum passionum naturalium : quod erat probandum. Major hujus prosyllogismi est ex eo evidens, quod oportet ista tria in omni materia esse adæquata sibi invicem, scilicet passionem et subiectum et propria passionis principia : ut patet de risibilitate, et homine, et animali rationali : constat autem ex I Phys. per longum processum transmutabilitatis principia prima esse materiam, formam, et privationem : oportet igitur ejus, ad quod tanquam ad adæquatum subiectum primo sequitur transmutabilitas, esse adæquata principia, materiam, formam, et privationem. Minor patet ex his, quæ in XII Metaph. a text. 19 usque ad text. 29 dicuntur, scilicet quod materia, forma, et privatio ad genus substantiæ non arctantur, sed materia, forma et privatio generis substantiæ sunt

principia propria substantiæ mutabilis : et materia, forma et privatio in genere quantitatis sunt propria principia quanti mutabilis : et materia, forma et privatio in genere qualitatis sunt principia propria qualis mutabilis.

Si dicatur quod quemadmodum principia propria substantiæ continent propria principia cæterorum generum, quia sunt causæ eorum (ut ibidem docet Aristoteles) sic substantia mutabilis continet omne quantum et quale mobile, et transmutabilitas substantiæ omnem aliam. Et propterea licet materia, forma et privatio excedant substantiam mobilem formaliter, non tamen virtualiter. Hoc licet sit subtiliter dictum, vim tamen rationis non excludit propter duo. — Primo : quia falsum est, quod principia propria substantiæ mutabilis sint principia principiorum cæterorum generum mutabilium. Quamvis enim sit verum et expressum in XII Metaph. c. supra dicto, quod per se principia essendi in genere substantiæ sunt principia principiorum essendi in cæteris generibus : id est, quod materia et forma substantiæ sunt causæ materiæ et formæ in quantitate et qualitate, etc. Veritati tamen adversatur, quod per se principia transmutabilitatis substantialis sint principia prin-

cipiorum transmutabilitatis aliorum generum. Privatio enim in genere substantiæ, quæ est per se principium, non substantiæ, sed transmutationis substantialis, non est universaliter, et consequenter nec per se principium privationis, quæ est principium transmutationis accidentalis, ut in corpore cælesti patet : ubi ens mobile secundum locum, habet omnia propria principia, scilicet materiam, formam et privationem : cælum autem substantialiter non habet nisi duo principia, quæ sunt essendi per se principia, sive ibi sit materia, quæ est pura potentia : sive simplex corporeitas pro materia, et intelligentia et forma : nullo enim modo est ens mobile substantialiter. — Secundo : quia dato, quod esset talis inclusio virtualis, adæquatum tamen subiectum transmutabilitatis, et similiter adæquatum principiatum ex materia, forma et privatione, non substantia mobilis, sed ens mobile : quoniam quando aliqua proprietates universalis secundum prædicationem habet subiectum adæquatum secundum prædicationem, in quo reperitur causa, secundum quam inest quibuscumque proprietates illa, illud tale est ejus subiectum secundum quod ipsum. Nec est requirendum pro primo subiecto illius illud ad quod per viam resolutionis proprietates illa et ejus principia redu-

cuntur : alioquin periret doctrina tradita in lib. Post. cap. de universali. Docemur enim ibi sistere, quando adæquatum subiectum secundum prædicationem invenimus, et causam in eo, per quam sibi cæterisque illa passio inest. Nulla etiam posset poni proprietas communis alicui analogo ad substantias et accidentia : cum accidentia et eorum proprietates et principia in substantiis virtualiter includantur. Nisi ergo velimus abuti vocabulis et rationibus eorum, quod in se est subjectum adæquatum transmutabilitatis in se ipso adæquate, claudit propria principia transmutabilitatis. Sed nec substantia mobilis, nec corpus mobile claudit in se illa : quoniam propria principia transmutabilitatis universalis seu in communi, sunt materia, forma, et privatio in communi, quæ genus substantiæ transcendunt. Enti autem mobili adæquantur : quidquid enim ex materia, forma, et privatione constat, ens mutabile est ; et e converso, eo quod privatio machinatur ad malum. Ens igitur mobile est proprium, et primum mobilitatis subjectum.

Secundo probatur propositum, et directe arguitur contra ponentes corpus mobile sic : conjunctio omnis mobilis cum ratione corporeitatis, non supponitur in naturali philosophia, sed in VI

Phys. probatur, ergo non corpus mobile, sed ens mobile est subiectum philosophiæ naturalis. — Antecedens patet in text. 32, VI Phys., ubi probatur quod omne mobile est corpus. Consequentia vero patet tum ex eo, quod si corpus mobile ponitur adæquatum subjectum, oportet supponi mobilitatem conjunctam esse corpori, aut ut rationem formalem, aut ut passionem : tum ex eo, quod oportet supponi corpus cœxtendi ipsi mobili : alioquin non supponeretur subjectum adæquatum scientiæ. Utrumque autem horum impossibile est supponi ignorata universali conjunctione ipsius mobilis cum corpore : ut de se patet. Ergo. Et hæc est ratio sancti Thomæ in I Phys. : nunquam enim dixit ipse, quod philosophus naturalis probet corpus mobile esse, ut communiter sibi imponitur, quia non intelligitur (corpus enim mobile esse, qui dubitant, non egent medio, sed sensu, quo vel seipsos moveri percipiant), sed dixit quod probat omne mobile esse corpus. Et ut plenius hujus rationis vis percipiatur, *advertendum est primo*, quod subjectum adæquatum scientiæ resolventis suas conclusiones in principia per se nota (qualis est philosophia naturalis) oportet et quod sit subjectum primarum passionum, ac per hoc quod sit principium essendi, et consequenter cognoscendi secun-

dum naturam cæterorum : et quod sit principium cognitionis in nobis, sive ad latentes proprietates et occulta principia a posteriori, sive a priori procedatur : quoniam subjecti cognitio omnibus præsupponitur. Et ut dicit Averrois in II Phys. comm. 26 : nec a priori, nec a posteriori probari potest in scientia : et innatum est nobis, quod oportet semper a notioribus nobis procedere, ut in I Phys. comm. 4 dicitur. Sicut ergo prima ratio superiorum facta procedit ex ordine naturæ, sic ista procedit ex nostro ordine cognoscendi. Et propterea sanctus Thomas dixit, quod ad audientes probatur, omne mobile esse corpus : insinuans per hoc, cognitionis magis quam rei ordinem. *Advertendum est secundo*, quod quamvis aliud sit omnem mobilitatem esse conjunctam corpori, et aliud cognoscere omnem mobilitatem esse conjunctam corpori : ad hoc tamen quod corpus mobile ponatur subiectum adæquatum, nihil refert quod horum deficiat : quoniam sicut deficiente conjunctione illa secundum rem, corpus mobile prohiberetur ex parte rei esse subjectum : ita deficiente conjunctione illa in esse cognito, ex parte cognitionis quæ præhaberi debet, impeditur. Non sufficit autem præsupponi aliquod mobile esse corpus (quod ad sensum patet), sed oportet supponere

omne mobile esse corpus : tum quia ad hoc, quod complexum aliquod, vel complexe significatum induat rationem subjecti adæquati in scientia, oportet id quod est ut formale, et sic et supponatur per se conjunctum alteri, ut passio vel ratio formalis : alioquin frustra de materiali parte complexi illius quæstio fieret : cum ea quæ sunt per accidens, variabilia et extra quæstiones scibiles sint. Hoc autem sicut impossibile est esse, nisi omne tale illi insit : ita est impossibile supponi, nisi omne tale inesse illi supponatur : quoniam omnia hæc, sicut in naturæ ordine præexigunt de omni, ita et in cognitionis ordine. Unde si naturalis scientiæ subjectum est corpus mobile, oportet in hac scientia, quæ de mobili in eo quod mobile tractat, supponere mobile, quod ut formale se habet, conjunctum esse corpori per se, vel ut passionem, vel ut rationem formalem. Neutrum autem horum fieri potest, nisi supponatur omne mobile corpori connexum esse : imaginari enim non potest, ut propria passio aut ratio formalis credatur esse alicujus, id quod communius illo dubitatur. Tum quia ad hoc ut aliquod complexum vel complexe significatum habeat rationem adæquati subjecti alicujus scientiæ, non minus oportet id quod ut formale ponatur adæquari scientiæ, quam id

quod ut materiale sumitur coextendi illi formali: alioquin si materiale rationem formalis contraheret, scientia, quæ adæquate* rationem formalem respicit, sub-
jectum suum excederet: nihil autem refert, ut dictum est, coextensionem talem non esse, aut non supponi. Si igitur corpus mobile in eo quod mobile, adæ-
quatum subjectum ponatur philosophiæ naturalis, oportet philosophiam, quæ de mobili in eo quod mobile est, supponere, corpus evacuare mobile: alio-
quin adæquatum sibi subjectum, quamvis haberet, non tamen sup-
poneret: et consequenter sub-
jecti rationem non haberet. Hoc autem impossibile est supponi, 20
quamdiu nescitur, an omne mobile sit corpus: ut de se patet. Potes autem rationem hanc juxta sanctum Thomam, sic colligendo formare: Nulla scientia habens
subjectum complexum, aut com-
plexe significatum, probat eam
conjunctionem partium subjecti, sine qua complexum illud sub-
jecti rationem induere non po-
test: alioquin scientia construe-
ret sibi ipsi subjectum, quod de
nulla scientia speciali dicere licet.
Hæc enim major æquivalet ma-
jori sancti Thomæ brevius assu-
mentis, nulla scientia probat,
id est, construit, vel componit
sibi ipsi subjectum: loquendo
enim de subjecto complexo, æqui-

* Ed. Lugd.: adæquate...

valet dicere, nulla scientia com-
ponit aliquid, ut sit suum sub-
jectum: et dicere, nulla scientia
probat suum subjectum, apud
formaliter terminos speculantes.
Sed philosophia naturalis, si cor-
pus mobile ponitur subjectum,
construeret subjectum suum.
Ergo, etc. — Patet minor ex
dictis: quia probat universalem
conjunctionem mobilitatis cum
corpore, sine qua corpus mobile
subjecti rationem habere non
potest. Omissa autem verborum
sollicitudine, directe syllogizan-
dum est sic: Nullum conjunc-
tum, cujus de omni conjunctio
probat in aliqua scientia, est
subjectum adæquatum illius: 20
corpus mobile est conjunctum,
cujus de omni conjunctio proba-
tur in philosophia naturali. Ergo
corpus mobile non est subjectum
in philosophia naturali. — Major
jam patet, ex eo quod omne
conjunctum, quod ponitur adæ-
quatum subjectum, supponitur
et per se conjunctum saltem ex
parte formalis, et coextensum
rationi formali adæquantis scien-
tiam: sed cujus conjunctio dubi-
tatur de omni, non supponitur
conjunctum per se, nec coexten-
sum rationi formali. Ergo. Minor
ex VI Phys. patet text. comm. 32,
ubi probatur universalis conjunc-
tio mobilis cum corpore et pro-
cessu philosophiæ naturalis, ma-
xime in II Phys., et II tractatu I
De Cælo, unde habetur universa-

lis conjunctio corporis cum mo-
bili.

Sed remanent duæ
contra rationem hanc objec-
tiones excludendæ. — *Prima*
est: quia non videtur verum,
quod in VI Phys. probetur, omne
mobile esse corpus: eo quod in
text. 32 probatur tantum omne
mobile esse divisibile. Constat
autem, quod si probatur passio
alicujus de mobili, non propterea
probat ratio formalis subjecti
illius passionis: sic autem se
habet divisibilitas et corporeitas,
ut patet. — *Secunda* est: quia
videtur hæc secunda ratio adver-
sari primæ: in hac siquidem
dicitur omne mobile esse corpus: 20
in illa vero dicitur ens mobile
communius esse, et corpore et
substantia mobili.

Ad primum horum dicitur, quod 25
quia non cadit in intellectu hu-
mano, quod aliquid supponatur
esse corpus, de quo dubitetur
esse divisibile, nisi apud antiquis
attributos errores, ponentes cor-
pora indivisibilia, quia divisibi-
litas ipsa sic comes est corporei-
tatis et in esse, et in cognosci, ut
prius absque posteriori nunquam
cognoscatur: experimur enim 35
non aliter nos cognoscere aut
supponere corpus, nisi ut quan-
tum quoddam quantitate molis:
ideo si in philosophia non suppo-
natur omne mobile esse divisibile, 40

a fortiori supponi non potest
esse corpus: quia conjunctio
mobilis cum corporeitate, dum
dubitatur, cum divisibilitate non
potest cognosci, nisi ratione aut
sensu. Ex sensu autem constat,
quod non habetur: ratio autem
ad illam nulla invenitur. Et si
ex demonstratione illa VI Phys.
non acceptatur probatum, saltem
tanquam necessario consequens
conclusionem formaliter conclu-
sam, relinquitur majus inconve-
niens, quod scilicet omne mobile
esse corpus, longe remotius est a
philosophiæ principio: utpote
III De Cælo et I De Generatione.
Peripatetici tamen ibidem utran-
que concludi propositionem in-
distincte intelligunt. Unde Aver-
rois in I De Cælo, comm. 5
dicit: Probatum est in VI Phys.
quod omne mobile est corpus, etc.

Ad secundum vero dicitur,
quod licet ens sit communius
corpore (quia de multis prædi-
catur quidditative, de quibus
corpus non prædicatur quiddi-
tative) non tamen est sic com-
munius, quod alicui insit, cui
corporeitas conjuncta non sit,
omne enim ens mobile est corpus,
vel claudit in se corpus. Potest
et secundo dici (licet in idem
redeat) quod in VI Phys. proba-
tur omne mobile esse corpus: id
est corporeum aliquid. Probando
enim mobile esse divisibile, nihil
aliud probatur, quam mobile esse

ens corporeum, sive illud sit corpus, sive corporeum aliquid. Corporeum autem convertitur cum ente mobili, dato quod corpus cum eo non convertatur. Et eodem modo potest argui contra ponentes substantiam naturalem aut mobilem. Omne enim naturale aut mobile esse substantiam, cum oporteat supponi, aut haberetur ex sensibus, aut ex naturali philosophia, aut ex metaphysica. Ex sensu quidem non habetur. Ex naturali autem philosophia si haberetur, concluderet hoc non posse supponi in ipsa : si autem a metaphysico tractatur, ut Averrois dicit II Phys. comm. 4, hoc etiam concludit illud non posse esse subjectum in philosophia naturali : quæ scientia ex se est evidens absque metaphysica. Habet enim subjectum et principia propria ex sensibus per se nota : et non accipit ea positione : quamvis a metaphysico defendi debeant si impugnentur : ut in I Phys. text. comm. 12 dicitur.

Supra
10 a 29

Tertio probatur idem auctoritate : et primo Aristotelis, in III Phys., ubi in diffinitione motus non posuit corpus aut substantiam, sed ens in potentia, etc. Ex quo arguitur sic : id est subjectum philosophiæ, quod ponitur in diffinitione primorum accidentium naturalium : quia tale est proprium subjectum eorum, ut patet in VII Metaph. text. 15, sed non corpus nec substantia sed ens in potentia secundum quod in potentia (quod idem est quod ens mobile, ut patet in III Phys. text. 6 et 9) ponitur in diffinitione primorum accidentium naturalium : scilicet motus etc. Ergo ens mobile est subjectum philosophiæ naturalis. Et confirmatur hoc idem ex I Phys. text. 11, ubi supponendum dicitur in philosophia omnia aut quædam moveri, et non omnia aut quædam corpora, etc.—Secundo auctoritate Averrois, qui scilicet non sollicitus de vocabulis, in III Metaph., comm. 1, 'ens mobile' ; et in XII ejusdem comm. 5, 'corpus mobile' ; et in proœmio Phys., 'res sensibiles' subjectum philosophiæ nominaverit, et propterea non verba sua in hac re, sed sensum ponderari voluerit : in secundo tamen Phys., expresse docet aliquid prius corpore subjectum esse philosophiæ naturalis : dum dicit comm. 3 : 'Et sciendum est, quod subjectum istius libri est natura et principia naturalia, cum sint communia omnibus rebus naturalibus' : et ideo in hoc libro non diffinivit corpus neque alia de quibus considerat naturalis, sicut fecit in I Cæli et Mundi. Ex quo habetur quod apud ipsum consideratio de corpore mobili differtur usque ad librum De Cælo et Mundo, ubi ab ejus

diffinitione inchoatur : ut patet in text. comm. 2. Et rursus habetur subjectum physicæ esse commune corpori et aliis, de quibus considerat naturalis : ut prima ratione assumpsimus. Non ergo corpus mobile, sed aliquid prius eo commune naturalibus omnibus est subjectum philosophiæ : quod ens mobile esse ex prima ratione liquet. Est ergo significata ratio per ens mobile subjectum philosophiæ naturalis : non autem significata per substantiam, aut corpus naturale vel mobile vel sensibile.

Supra
10 a 26

b) [Deinde] Quod autem illis vocabulis convenientissime significetur, sic patet : 'Mobilis' vocabulum in primis convenientius sumitur, quam 'sensibilis' : quoniam admissio ente sensibili, adhuc non est naturalis philosophus libera Parmenidis et Melissi invectione : concedentes enim ens sensibile, negabant mobile. Supposito autem ente mobili, philosophiæ principia inconcussa manent. Similiter convenientius est, quam 'naturalis' nomen : tum quia redit idem inconvenientiens. Nam supposito 'ente naturali',* adhuc philosophus naturalis liber non incedit, nisi 'mobile' addat : ut ipse Aristoteles testatur in I Phys. text. 11, contra Parmenidem et Melissum

* Edit. Lugd. : naturalis...

concedentes 'ens naturale', subdens : 'Nobis autem subjiciatur, omnia aut quædam naturalia moveri'. Tum quia subjectum notissime debet supponi, et constat diffinitionem notiora esse diffinito : unde cum motus naturam diffiniat, quod clare significatur per ens mobile, obscure importatur per ens naturale : hoc enim si declarandum est, ad motum oportet venire. Tum quia nominibus utendum est ut plures, II Topic. ; usitatissimum autem est naturæ nomen ad cujuscumque rei quod quid est, et naturale ad omne non artificiale, sive de genere mobilium sint sive non. Et propterea si ens naturale supponeretur, ens non artificiale intelligeretur subjectum in philosophia naturali : quod est falsum. Et sic infictioni locum daret vocabuli æquivocatio ; quod si distinguendum esset, 'et ens naturale', id est, habens in se principium motus supponendum, cur non potius absque glossa et distinctione 'ens mobile' a principio dictis, clarius exprimendo ? præsertim quod secundi Phys. principium anticipandum esset, ut glossa illa intelligeretur. Entis autem nomen clarius propositis, ex dictis patet. Hæc de tertio.

NUNC QUARTO superest argumentis in oppositum satisfacere.

Supra
4 b 4

Supra
3 a 14

Et ad primum quidem dicitur, quod ens significare tertium quid commune secundum analogiam substantiæ et accidenti, non est contra sanctum Thomam, nisi 5 secundum analogiæ naturam ignorantibus. Unde nullum inconveniens est, ens mobile commune esse secundum rationem formalem, non unam simpliciter, sed 10 unam analogice entibus mobilibus omnibus, scilicet substantiis, quantis, et qualibus, et cæteris. — Quamvis etiam ratio ad oppositum non concludat contra te- 15 nentes ens mobile extra substantiam non inveniri: quia homo ipse, inquantum est ens mobile, aliud est a seipso, inquantum est substantia mobilis. Et propterea 20 non sequeretur: 'ergo ponendo ens mobile subjectum, ponitur substantia, aut corpus mobile', quoniam differunt formali ratione.

Supra
3 a 31

Ad secundum dicitur dupliciter. Primo, quod mobilitas communiter sumpta (ut de ea in hac loquimur quæstione) non est passio, sed substantiale prædicatum: 30 sicut et materiale et possibile, juxta ea quæ supra adducta sunt. Quæ possunt etiam ratione confirmari: ex eo quod possibile substantiale prædicatum est en- 35 tium, a materia sumptum. Non enim homo est ens possibile per aliquam proprietatem, ipsum consequentem, sed per intrinsecam suam. Mobilitas autem apud natu-

ralem idem sonat quod possibilitas apud physicum: ut exercitatis in istis scientiis, non auctoritatibus notum est. Sed quia hoc non est a prædecessoribus 5 discussum, et ut novum non facile acceptabitur, sic debiliter firmatum: ideo secundo dicitur, quod si mobilitas sit passio, adhuc subjectum philo- 10 sophiæ conceditur esse unius rationis formalis circumlocutæ per ly 'ens mobile'.

Supra
3 b 13

Et ad instantiam contra hanc responsionem respondetur tripliciter. Primo, quod quamvis in scientiis a priori procedentibus subjectum debeat esse pri- 20 mo et maxime notum quoad quid rei, non tamen hoc oportet in scientiis a posteriori doctrinam facientibus qualis est naturalis philosophia: ut Commentator 25 dicit in procemio, et in comm. I Phys., comm. 2. Sufficit enim quod sit primo et maxime notum quoad 'an est' et 'quid nominis': ut ex I Post. patet. Huic 30 autem nihil obstat talis circumlocutio. — Secundo dicitur, quod notitiam subjecti debere esse maximam, potest dupliciter intelligi. (a) Uno modo respectu 35 cognitionum possibilium haberi de illo. Potest enim idem cognosci probabiliter et demonstrative, per communia et propria, etc. Et hoc modo de subjecto non 40 oportet supponi a nobis maxi-

mam cognitionem: ut patet inductive etiam in mathematicis. (b) Alio modo respectu aliarum cognitionum, quæ in illa scientia 5 acquiruntur. Et hoc modo est verum: et conceditur quod cognitio ista, quam habemus de illa ratione formali in isto circumlocuto, est major omni cognitione quam acquirimus in philo- 10 sophia naturali. — Et si contra hoc instetur: quia multorum notitiam acquirimus in philosophia naturali, quæ per intima eorum cognoscimus et nominamus (per- 15 fectior autem est cognitio per intima, quam per passionem, sicut ratio illa cognoscitur), respondetur quod perfectio cognitionis, de qua est sermo in I Post., 20 unde sumitur quod subjecti cognitio debet esse maxima, non attenditur penes aliud quam evidentiam. Unde majus et minus in cognitione in proposito, penes 25 evidentiam latitudinem attendere oportet. Et propterea aliud est cognosci intimius, et aliud evidentius. Cum enim omnis cognitio acquisita in scientia, sive 30 pertingat ad intima alicujus quæsitum, sive non, habet evidentiam ex cognitione subjecti sicut ex principio, necesse est cognitionem subjecti esse evidentiorum, et 35 consequenter majorem cæteris. Et vere sic est in proposito: quia cognitio entis mobilis, quam circumloquendo supponimus, est ex sensibus evidens: quæcumque 40

autem alia acquisita est discursu syllogistico ex istius evidentia certa: propter quod autem unumquodque illud magis est: 5 ut dicitur in I Post. — Tertio dicitur, quod si philosophia haberetur a nobis sub perfecta ratione scientiæ, qua est in se procul dubio subjectum, oporteret omnino 10 esse primo et maxime notum, ut arguendo dicitur. Quia autem non sic est, tantum imperfectionis scientiæ nostræ admiscetur, quantum subjecti cognitio com- 15 patitur: ex hac enim incompleta cognitione subjecti, minus plena est cognitio subsequentium, difficultasque in solvendis quæstionibus non parva.

Ad tertium dicitur negando consequentiam, quæcumque via teneatur. Non enim ejusdem scientiæ est considerare aliquod 25 subjectum, et per se partes ejus subjectivas, aut per se modos quoscumque: sed eos tantum, qui genus, scilicet illius subjecti, non egrediuntur. Mobile autem 30 extra genus scibile metaphysicæ est: quoniam a materia sensibili non abstrahit. Accidentalem autem conditionem entis mobilitatem esse, ut subalternatio requirit, nullo modo est possibi- 35 le: ut ex his, quæ scripsimus super caput 13 primi Post. patet: quia accidentalitas illa perseitatem et extraneitatem simul res- 40 pectu illius subjecti exigit, quod

Supra
3 b 25

respectu entis non est possibile :
cum nihil extraneum sit ab ente :
ut dicitur III Metaph., text. 11.
Nec mihi obijciatur quod sanctus
Thomas in tractatu De Natura 5
Generis dicit philosophiam natu-
ralem propter accidentalitatem
hujusmodi subalternari metaphy-
sicæ : quia tractatum illum forte
nunquam vidit sanctus Thomas. 10
Stylus enim ejus non est ; et
multa ibi sunt, quæ doctrinæ
ejus non consonant.

Supra
4 a 14

Ad quartum dicitur, quod plus 15
requiritur ad hoc, quod aliquid
sit subjectum, quam quod ad
ipsum fiat resolutio : alioquin
principia subjecti, ad quæ ultimo
fit resolutio, essent subjectum. 20
Oportet ergo quod ad ejus ra-
tionem formalem fiat resolutio,
tanquam adæquatum primarum
passionum subjectum : ad sub-
stantiam autem mobilem non fit 25

mobiliū resolutio, sicut ad adæ-
quatum mobilitatis subjectum,
sed sicut ad primum clausum in
adæquato mobilitatis subjecto,
quod est ens mobile. Post reso-
lutionem siquidem passionum
communium in analogum subjec-
tum, potest analogum ipsum in se
resolvi, posterius in prius redu-
cendo : ut in tractatu De Nomi-
num Analogia diffuse diximus.

Et hic sit finis hujus quæstionis
in conventu sanctæ Mariæ Gra-
tiarum in Mediolani suburbio,
anno Salutis 1499, die 6 Novem-
bris. Sume igitur amantissime
mi frater Vincenti, sollicitudinis
hospitalitatisque tuæ fructum :
et quo præstas ingenii acumine,
discute, dans veniam minus con-
sentaneis, memor quod nihil in
ullo unquam genere cultum re-
pentinumque sit. Vale.